

fuerunt, quod Christus in monte Sina Moysi roganti promiserat, hic in monte Thabor praestitisse. Promississe futurum, ut Moses non anteriora seu faciem Dei, sed post eum respiciat, id est non ut ipsa diuinitas oculis eius subiiciatur, sed humanitas. Itaque vidit Moses Christum postremis temporibus et quidem iam carne humana tectum, ipse carne redonatus.

## §. V.

Et ad illos, Mosen scilicet ac sanctos cum Christo resurgentes, quorum conditio minus intricata minus dubia est, pariter referri posse opinor IV. eos, quos uulgo *bis mortuos* nuncupamus, ab eisque exemplum simulque argumentum pro nostra hypothesi deduci. Huiusmodi sunt puer Sunamitidis ab Elisa exiccatus, miles contactu ossium eiusdem prophetae ad uitam restitutus, iuuenis Nainiticus, filii Jairi, Lazarus, Thabaea Petri manu resuscitata, aliquique plures, quos Apostoli, aliquique viri apostolici, dono miraculorum praediti, temporibus nascentis ecclesiae, in vitam rursus vindicarunt. Horum hominum conditionem intellectu difficilem esse cum patet, atque eruditi nescirent in his extraordinariis casibus num a lege semel moriendi exceptio esset presumenda, nec ne, graues enatae fuerunt quaestiones cum de eo, ubi anima eorum a corpore seiueta, interea temporis, fuerit versata, tum de eo, utrum secunda vice mortui fuerint. De utraque quaestione a Theologis tam nostris, quam *τοῖς ἑξω* in utramque partem mira animorum dissensione et opinionum diuersitate fuit disceptatum. Et quidem quod ad prius, de loco animae, attinet, alii putarunt, animas fuisse quidem separatas quia vinculum et officium informandi corpus, non tamen quia locum, ita ut corpori veluti domientes inhaeserint: alii statuerunt eas ad tempus corporibus elapsas, interea in aere, haud longe tamen ab cadavere, sed circum illud uolutatas,

C 3

tam